

1714

I. N. 7. C.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
INITIIS RELIGIONIS
CHRISTIANÆ
IN
IMPERIO ROSSICO,

QUAM

*Consensu Ampliff. SENATUS Philof. In Acad.
Aboënfi,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES
BILMARK,

Histor. ac Phil. Pract. PROFESSORE Ordin.

Publico examini modeste subijcit

CHRISTIANUS SCHVINDT,

ROSSIA - WIBURGENSIS.

In AUDITORIO MAJORI Die X. Aprilis Anni R. S.
MDCCLXXI.

Horis Ante Meridiem Confvetis.

A B O Æ,

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

VIRO Maxime Reverendo

D: NO MAGNO

ARCHI-PRÆPOSITO per Careliam, quæ Rosfico pa-
SIDI gravissimo, Ecclesiarum Svethicæ & Fennicæ, quæ
gilantissimo, Scholarumque per Diœcesin EPHORO Adcu-
MECENATI

VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

D: NO JOH. DEUTSCH,

Pastori in Hitola meritissimo, vicini districtus PRÆPO-
SITO gravissimo, nec non Scholæ Kexholmensis IN-
SPECTORI adcuratissimo.

VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

**D: NO SAMUELI
ALOPÆO,**

Ecclesiæ Sordavallensis PASTORI meritissimo & Vicini
districtus PRÆPOSITO adcuratissimo.

PRÆCLARISSIMO atque

MAG. JOHANNI

RECTORI Scholæ Cæsareæ Cathe-
Conistorii Wiburgensis ADSESSO-
PATRONIS Omni venerationis cultu ad

Primicias has studiorum ob innu-
collata beneficia cum voto omni-
sini animi & nunquam intermori-

opellæ

AU-

Atque Amplissimo,

A L O P Æ O,

ret Imperio, Celeberrimo, Consistorii Wiburgensis PRÆ-
ibidem & in Cackis DEO colliguntur, ANTISTITI vi-
ratissimo,

MAGNO.

VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

D: NO JOH. SAXBERG,

Ecclesiæ Cronoburgensis PASTORI Vigilantissimo &
Vicini districtus PRÆPOSITO gravissimo.

VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

**D: NO CAROLO GUST.
COUPER,**

Ecclesiæ Germanicæ, quæ Wiburgi floret, PASTORI
Dignissimo.

PERCELEBRI DOMINO,

STRÄHLMAN,

dralis Wiburgensis maxime Inclyto,

RIBUS Gravissimis,

urnam usque profequendis.

*mera in se nullo non tempore
genæ felicitatis in tesseram gratis-
turæ pietatis dat & dedicat
hujus*

CTOR.

Välädla FRUN,

FRU ANNA ELISABETH
BÄER,

Född

CARLBOHM,

Min GUNSTIGA GYNNARINNA,

De välgjeringar, hvarmed Min *Gunstiga Fru* mig hedradt under den tid jag haft lyckan handleda *Des* kjära Söner uti Bokliga konster, äro större än jag skulle försumma något tillfälle, at å daga lägga min vördnadsfulla årkjånsla. Tillåten då, Min *Gunstiga Fru*, den ynnest vederfaras mig, at, då jag på dessa blad teknar dem som måst bidragit til min välfärd, äfven få zira dem med *Edert* hedervärda Namn och uptagen denna pappers-gåfva med en *Eder* medfödd godhet. Jag skal deremot aldrig uphöra med trånga böner anropa den Högfte GUDen för Min *Gunstiga Frus* beständiga välgång, med outhörlig vördnad framhårdande,

Välädla FRUNS,

Min GUNSTIGA GYNNARINNAS

Ödmjukaste tjänare

CHRISTIAN SCHVINDT.

Enke = Fru Pastorſkan
Dygdådla,

Fru **ANNA SCHVINDT,**

Född

BRUNNERA,

Min Guldeſta Moder!

Glädje och oro intaga mitt ſinne wid detta länge efterlång-
rade tillfället. Hvad dunnare glädje, än at in för Min
Guldeſta Moder ſå offentligen betyga min wördnadsfulla tack-
ſamhet för de otaliga wälgjerningar, hwarmed min Kjära Mo-
der ifrån den förſta ſtund jag trädde i werlden intil närwa-
rande tid mig öfwerhopat. Mina Syſkon och jag ledo wäl
en ſtor förluſt genom wår Kjära Faderns nog haſtiga fränſälle,
men min Kjära Moders huldheth lindrade wår affaknad, ſom
elieſt warit för oss odrägelig. Oss har under nog småwa wil-
kor ingen ting fattats, utan min Hulda Moders på oss an-
wända omkoſtningar haſwa wida öfwergått både Min Moders
förmåga och wår förmodan. Detta erkänner jag med en
wördnadsfull glädje; men min oro är ej liten då jag för otal-
ligt godt ej annat kan återgiſwa än deſa pappersblad, ſom
wiſa til en del huru jag använt min ungdoms tid. Uptag
dem Min Guldeſta Moder med wanlig godhet, ſå ſkal jag fort-
ſara, at med innerliga ſuekar bönfalla den Högſte Guden, at
at Han wärdes bekröna min Kjära Moder med allt det goda,
ſom under en mängd af årtal kan göra min Kjära Moders lef-
nad lätt och förnöjsam. Har åran at med beſtändig barnlig
wördnad framhärda

Min Guldeſta Moders

ödmjuk = lydigſte Son,

CHRISTIAN SCHVINDT.

VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,
D: no PETRO URSINO,

Ecclesiarum, quæ DEO in Râisälâ & Caucola colliguntur, PASTORI meritissimo, ADFINI Propensissimo atque FAUTORI multis nominibus colendo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,
D: no JOHANNI LAURENIO,
Ecclesiæ, a S. ANDREA cognominatæ, PASTORI dignissimo, FAUTORI Honoratissimo.

VIRO Præclarissimo,
**D: no JOHANNI HENRICO
SCHVINDT,**

Scholæ Cæsareæ Cathedralis Wiburgensis SUB-RECTORI adcuratissimo,

Nec non

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
D: no LAURENTIO SCHVINDT,
Ecclesiæ a S. ANDREA denominatæ Comministro Vigilantissimo.

FRATRIBUS SUIS DILECTISSIMIS.

Favor & merita vestra in me sunt tanta ut nec laudi, nedum remunerationi apud me locus sit. Suscipite tamen hanc meam dissertationem ut pignus gratissimi animi & observantiæ, qua quemvis vestrum ad urnam usque prosequitur

CHRISTIANUS SCHVINDT.

Antequam cum bona Lectoris venia disquisitioni de Initiis Religionis Christianæ in Imperio Rossicæ nos accingimus, erunt nonnulla de Veterum Rossicæ incolarum religione præmittenda. Quas igitur cumque adeamus gentes,prehendimus, quod Supremum Numen, quæ ineffabilis Ejus est in genus humanum bonitas, nusquam locorum sese ἀμάειργον reliquerit; sed tam in operibus suis, quam aliis modis ita sese manifestaverit, ut nulla omnino gens tam fera aut barbara sit, quæ non agnoscat aliquem esse DEUM, existentia suæ & omnis felicitatis Auctorem, id quod imprimis *JOH. LUD. FABRITIUS* contra Atheismi promachos luculenter ostendit (a). Quamvis vero omnes existentiam Summi Numinis admiserint, in vero tamen Religionis Objecto multi, quod dolendum est, a justo tramite ita aberrarunt, ut cuicumque fere rei, paullo ingeniosius formatae, Numen quoddam inesse sibi persuaserint (b). A quo superstitioso cultu ne quidem Majores nostri, præsertim qui Boreales habitarunt regiones, penitus fuerunt exempti. Quum enim Scandiæ Rex *OTHINUS II* filium suum *SIGURLAMUM*, Principem dictarum provinciarum eligendum curasset, nulli dubitamus, quin avitos etjam ritus heic introduxerit, siquidem sub sacris præstigiis imperandi calliditatem texerit. *THORERUM* igitur seu *JOVEM*, *JUMALA* communiter appellatum, plurimum venerati sunt veteres incolæ, ipsique splendida templa passim exstruxerunt. Inter hæc in Annali-

bus vetustis præcipue celebratur Fanum Biarmiense seu Permense, in quo statua *JUMALÆ* ex solido confecta auro collocata perhibetur. Quid? Quod delubrum hoc opibus, quas supplices offerebant, ita abundaverit, ut Templo Upsaliensi, hac tempestate per totum Septemtrionem famigeratissimo, magnificentia parum cedere existimaretur (c). Inde factum putamus, ut exteri, qui in provincias Rossia maxime boreales penetrarunt, longæque ibi captivitatis tædia investigatione morum ac Religionis harum gentium fefellerunt, insignem prorsus convenientiam inter cultum ipsarum religiosum atque ritus, ab Othino Scandianis quondam traditos, animadverterint. Immo quod ægerrime admitteretur, nisi oculati adessent testes, in sacris populorum in Siberiæ confiniis habitantium, post tot sæculorum decursum & tantas rerum mutationes nondum obsoleverunt nomina *THORERI*, *FRIGGÆ* & *ODDI* (d). Porro ut aliæ gentes Martem seu bellorum præsidem atque arbitrum sunt veneratæ; ita quoque tam alii populi, quam imprimis Ostiaki, qui ad fluvium Oby habitant, eidem Numini varia offerunt sacrificia; in ea etjam versantur opinione, omnes, qui in prælio vel contra urfos pugnando occubissent, ad campos Elysios extemplo perventuros, cæteros autem, qui sua morirenter morte, Plutoni in avernis diu servituros, antequam digni habeantur, qui in beatorum numerum recipiantur (e). Nec admodum miremur, quod multa veterum Scandianorum sacra ad septemtrionales Siberiæ regiones pervenerint; siquidem perplurimi veterum Rossia incolarum, qui frequentia cum Gothis habuerunt commercia, ad hanc plagam, dum Tattari Patriam illorum vastarent, sese catervatim contulerint.

(a) Vid. *Ejusdem Apologeticon generis humani contra calumnias Atheismi.* (b) Vanitatem hanc gentillum Seniores ipforum satis perspexerunt. Hinc *VIRGILIUS Æneid. Libr. VIII. v. 698, Idola non DEOS, sed omnigenum DEUM monstra vocat.* (c) Vid. *STURLÖGERI Hist. Cap. XVI & XVIII.* (d) Vid. *SCHOENSTROEMII Litteras citatas ab Authore, Daß veränderte Rußland, p. m. 163.* (e) Vid. *STRAHLENBERGII Libr. Nord-und Osi-Theil von Europa p. 26. in not.*

§. II.

Quæ hactenus recensuimus Numina, a primis Rosiæ incolis sub gentilismo culta, eadem cum cæteris Scandiæ populis habuerunt communia; insuper vero particularia in diversis provinciis ipsos adorasse constat. Novogardenses enim olim habuerunt Idolum quoddam, *PERÛN* (a) ab illis nuncupatum, quod habebat formam hominis capite argenteo, cætera lignea, lapidem ignitum manu tenentis, similem fulmini. Videlicet *PERÛN* Rossiis & Polonis *Fulmen* significat. In hujus Idoli laudem & honorem ignis ex quercubus, qui continuo nocte dieque arderet, construebatur (b). Post introductam vero Christianam religionem hoc simulacrum in fluvium Wolchov fuit projectum, sed, uti fabula est, adverso flumine diu natavit, tandem vero, indignandum quasi, fustem in pontem projectum in sui memoriam alta voce consecravit. Inde repetunt nonnulli consuetudinem, quod Novogardenses certis anni diebus quondam concurrisse & fustibus sese cædisse perhibeantur (c). Præterea ut Græci *VENEREM*, amorum *DEAM*, Romani *VESTAM* flammarum habuerunt antistitem, veteresque Gothi eidem muneri *Friggam* seu *Freyam* (d) præferunt; ita nec veteres Rosii omiserunt tali *DEÆ* tædas accendere. Coluerunt enim cum alibi, tum imprimis Kargapoli, idolum quoddam *ZOLOTAJA BABA*,

Icū autē Matronam ab ipsis nūcupatū, cūjus cultus reliquā in Obdoriā regione ad ostia Obyi fluminis etjanum superesse dicantur. An hoc Numen fuerit idem cum veterum Fennorum Jumala, aliis dispiciendum relinquitur. Habet autē statua hęc, e lapide formata, similitudinē mulieris vetulę, infantem in gremio suo gerentis & alterum infantem juxta se tenentis, quem illius nepotem esse incolę perhibent. Idolū hoc Obdoriani, Jurischi atque Wohullisci nec non alię contemineę gentes religioso admodum cultu prosequēbantur, eidemque pręstantissimas ac maximi pretii pelles Zobellinas offerebant; cervos etiam selectiores ad sacrificium peragendum immolabant, quorum sanguine os, oculos & reliqua simulacri membra perungebant. Intestina quoque sacrificii cruda devorasse perhibentur, & inter edendum sacerdos Idolū consuluit, quid ipsis faciendum, aut quo migrandum esset? Mox e cavernis montium circumjacentium sonitus & boatus, clangorū tubarum haud dissimilis, audiebatur, quo responsa supplicibus dabantur (e). Crederet facile quispiam, se in his partim Cythereas cernere aras, partim cortinam Phębeadum resonantem atque surda Delphicorum murmura strepitiā audire, nisi maxima locorum intercapedo aliud moneret.

§. III.

(a) Sicut frequentia inter veteres Rossos & his vicinos populos intercesserunt commercia; ita nemo miratur, quod similis cultus vestigia apud utrosque reperiantur. Primus enim inter DEOS Prussicos dicebatur PERCUNOS, qui igneam atque ira ardentem faciem præferbat, uti & caput flammis coronatum & crispam innodemque nigri coloris barbam, ut eum describit THOMAS CLAGIUS Libr. I. *Lindę Mariana seu de virgine Lindensi* Cap. 8. p. 44. Credebatur Percunus DEUS esse fulminum & tonitruum aliarumque tempestatum. Fenni quoque etiamnum malum genium *Perkolä* appellare solent. Varia huc facientia legi possunt in Dissertatione Londinensi de Varegia. (b) Vid. ALEXANDRI GUAGNINI *Descriptionem Moschovię*

p. m. 163. (c) Vid. *HERBERSTEINII Comment. Rerum Moschovit.* p. m. 55. (d) Nomen hoc dicitur a Goth. *Fri* libero, quia licentia lascivix nutrix merito habetur. (e) Confr. *HERBERSTEINII Libr. cit. p. m. 61.* item *GUAGNINI Libr. modo memorat p. m. 168 & 169.* Scilicet omnes fere gentes fertilitatem seu *DEAM* Deorum consortio adjunxerunt.

§. III.

Sed mittamus gentilissimi tenebras, & ad propositura nostrum propius accedamus, exposituri initia Religionis Christianæ in Imperio Rossico. Enimvero sicut dubia esse solent rerum, a nostra memoria remotissimarum, initia; ita non est dissimulandum, plurima sententiarum divortia in præsentī argumento occurrere, quæ illud magis implicant, quam explicant. In quibusdam domesticis Annalibus relatum legimus, universam Rossiam baptizatam atque benedictam fuisse ab *ANDREA, SIMONIS PETRI* Fratres & Christi Apostolo, quem ex Græcia huc pergentem, Pontum Euxinum trajecisse, tum Borysthenis fluvii ostia adpulisse, atque dehinc ad Kioviā usque, tunc temporis Rossicæ metropolin, adverso flumine pervenisse. Ut autem urbem hanc civibus frequentem intravit, incolis Christianam annunciavit Religionem, omnique studio ipsis persvasit, ut, abjecto horrido Idolorum cultu, ad meliorem frugem se converti paterentur. Tantum etiam eloquio, vita & factis apud Kiovienses valuit, ut benignas huic Præconi aures præbuerint; quare benedictionem suam huic terræ concessisse atque crucem suam ibi collocasse fertur, prædicens, magnam ibi *DEI* gratiam futuram, multasque Ecclesias ad Christum fore convertendas. His negotii sui primordiis ex voto succedentibus, Apostoli hujus Zelus in propaganda Religione Christiana inde increvit. Dicitur enim rursus flutibus sese commisisse, atque Borysthenis fontibus reli-

ctis in quendam lacum, Wolock nuncupatum, pervenisse, ipsoque superato, per fluvium *Lomat* in lacum Ilmerum descendisse, indeque per fluvium Wolchov, qui ex eodem lacu fluit, Novogardiam sese contulisse (a). Et quum cives etiam hujus urbis non minus attentis auribus & propensis animis, quam paullo ante fecerant Kioventes, sermonem ejus exciperent, aliquamdiu heic commoratus perhibetur, multosque ab Idololatria ad Christum convertisse (b). His denuo feliciter peractis, per fluvium modo memoratum in Lacum *Ladogam* & *Hevam* fluvium ad mare usque, quod veteres Rossi *Waretzkojâ More* adpellarunt, nunc autem Sinus Venedicus dicitur, inter Finlandiam & Livoniam, pervenit. Inde Germaniam contendit, & denique post multos labores & mille pericula Romam sese contulit. Quum autem Quirites doctrinam ejus alto fastidirent supercilio, atque ipsum durius, quam par fuit, exciperent, Mavortia hæcce rura paullo post reliquit, iterque suum in Peloponesum direxit; in qua terra plurimas sustinuit vexationes & tandem jussu Tetrarchæ AGI ANTIPATRI propter Christi imperterritam confessionem cruci fuit adfixus (c). Utcunque autem speciosa & ad fidem faciendam hæc ipsa primo intuitu videantur, ipsis tamen e diametro repugnant Novogardensium annales, qui prioribus sive auctoritate sive antiquitate nihil cedere putantur. Hi enim ANTONIO cuidam, obscuræ conditionis viro, quem Romæ suam accepisse doctrinam tradunt, ea fere omnia tribuunt, quæ ANDREÆ Apostolo vindicant monumenta Rossorum modo memorata, sed quorum opinio ne probabilitatis quidem specie nititur. De hoc enim narrant, quod quum ANTONIUS lapides molares aliquando Romæ reficeret, totum ædificium ab undis, subito illabentibus, adeo fuerit convulsam, ut ex sua basi excuteretur. Hoc deinceps navigio
sine

sine velis atque remis per mare ferebatur Mediterraneum, Hellepontumque transiens cursum suum tamdiu continuavit, donec ad urbem sibi ignotam, Novogardiam apulit. Tum navi hac molari egressus, doctrinam suam, quam singularis itineris sui miraculo confirmavit, prolixè exposuit, tantamque apud cives invenit fidem, ut eum pro Divino quodam viro confestim habuerint. Magnam igitur Rossia partem ad Christianam convertit Religionem, incolasque conversos sacro baptismi lavacro iniciavit. Atque ne quis color huic narrationi deesset, fama est, Monachos Novogardenses ingentem molam in memoriam hujus eventus in Monasterio quodam Novogardensi exstruendam curasse; serio contendentes, hanc eandem prorsus esse, qua D. ANTONIUS, tot maria atque flumina transiens, tot fyrtes ac brevìa præternavigans, in Rossiam pervenit (d). Alii rursus Historici memoriæ produnt, Rossos inter cæteros sanctos imprimis colere Apostolum TADDÆUM, causam interferentes, quod illos ad fidem Christianam converterit (e). Nec desunt alii, qui hunc honorem deferunt Apostolo BARTHOLOMÆO, cujus merita in Ecclesiam Rossicam prolixè celebrant (f). Immo sunt nonnulli, qui ex Rossorum annalibus se didicisse perhibent, Gentium Doctorem PAULUM in finibus imperii Rossici Sanctissimum Christi Evangelium primum annunciaisse, atque quum graviore curæ Apostolum hunc postea alio vocarent, tunc misisse Septemtrionalibus hisce populis unum ex septuaginta discipulis, ANDRONICUM appellatum, qui opus a se inchoatum magno successu perfecit (g).

§. IV.

(a) Vid. HERBERSTEINII Libr. cit. p. m. 19. nec non D. F. FABRI Librum de Religione Moschovitarum p. m. 133. (b) Vid. Marquis d' ARGENS Lettres Chinoises Tom. II. p. 35. (c) Confr. HERBERSTEINII Libr. cit. p. m. 20. item ALEXAND. GUA- GNINI Veronensis descriptionem Moschovizæ p. m. 172. (d) Vid.

*Auctorem Libri Daß veränderte Rußland p. m. 127. cui addantur Lettres Chinoises Tom. II. p. m. 36. (c) Confr. MATTHIÆ A MIECHOVIA tractatum de duabus Sarmatiis, id est Asiæ & Europæa Libr. 2. Cap. I. (f) Vid. STEPH. DAMALÉVICZI vitas Episcoporum Vladislaviensium Cap. I. p. 15. (g) Vid. GHIZE-
LII Synopsis Historicam p. m. 66.*

§. IV.

Singulas, quas in paragrapho antecedente recensuimus, opiniones de initiis Religionis Christianæ in Imperio Rossico, ad justum revocare examen, prolixum foret opus, cui perficiendo hæc non sufficerent pagellæ, quare etiam eodem supersedemus. Interim tamen fatendum est, quod prima sententia, quæ merita Apostoli ANDRÆ in fundatione Ecclesiæ Rossicæ celebrat, non omni veri similitudine destituatur. Huic enim favent et itinera Apostoli modo memorati, qui ex Achaja progressus, Istro flumine transmissis in Sarmatiam Europæam pervenit (a), et testimonium TERTULLIANI, qui profitetur suo tempore, hoc est, circa an. Chr. 195 Christianum Nomen in Sarmatia Europæa viguisse (b); immo EUSEBIUS tradit, Apostolum ANDREAM Evangelium Scythis annuntiasse. Enimvero quamvis negari nequit, quin ad tenorem promissionis Divinæ sonus doctrinæ Evangelicæ in omnes terras exierit; ineptum tamen foret statuminare, corpora horum doctorum eo pervenisse, quo doctrina ipsorum pertingit (c). Esto igitur, quod prædictus Apostolus ad confinia usque Rossicæ pervenerit, & prædicationem Evangelii heic inceperit, inde tamen non conficitur, vel quod amplissimi hujus imperii cives ad fidem Christianam omnes converterit, vel quod reliquam itinerum seriem per septemtrionem continuaverit, siquidem itinera hæc, quæ Scriptores imprimis Polonici tantopere celebrant (d) ne
verbo

Verbo quidem tangat veneranda antiquitas. Quid? Quod quum Tertullianus, initia Religionis Christianæ per Sarmatiam exponens, hunc honorem non deferat Apostolo ANDRÆ; ejus silentium super hoc negotio allatam hypothefin si non convellit, certe nec confirmat. Quidquid igitur, præeuntibus meliõris notæ Historicis (c), in hac re admitti potest, huc redit, quod Apostolus ANDREAS in transitu per partem Roffiæ maxime meridionalem, Christianam Religionem populis heic habitantibus annuntiaverit, sed quæ lux paullo post totalem paffa videtur eclipsin. Tempore enim adventus RURECI ad nostras oras, tota quaqua verfum patuit Roffia gentilismi tenebris fuit immerfa, adeo ut ne vestigium quidem Apostolicæ doctrinæ in hisce oris apparuerit. Scilicet ignorabant tunc & Andream & Antonium & hujus molam (f). Remansit tamen, ut nonnulli credunt, faltem in meridionalibus Roffiæ provinciis, Religio Christiana per aliquot sæcula a primis initiis. Docent enim annales, quod in generali concilio Antiocheno Anno 363 adfuerit ANTIPATER RHOSSES seu RHOS; quo nomine Græci Ruthenos adpellare subinde confueverant, qui etjam Synodali Epiftolæ, ad JOVIANUM datæ, cum reliquis fubfcripsit (g). Quod si verum, apparet, quod vicinia Roffiæ cum Græciâ haud parum contulerit ad confervandam Religionem Christianam.

B

§. V.

(a) Vid. PAPPI *Histor. Eccles. Convers. p. m. 123.* (b) Vid. *Ejusd. Libr. adversus Judæos.* (c) Vid. M. Z. BOXHORNII *Histor. Universalem p. m. 106 & 107.* (d) Confr. STANISLAUS LUBIENCIUS in *Proëmio ad vitas Episcoporum Ploccensium, DAMA-LEWICZIUS loc. cit. & alii plures.* (e) Vid. HERBINIUM in *libro de Cryptis Kiøviensibus C. 3. p. 16.* Quare exquisiti judicii viri narrationes de Apostolorum itineribus per Europæ regna pro meris habent conjecturis, quæque leviores essent, quam ut ab homine, veri cupido, recipi possent, Vid. SGH. LAUR. MOSHEMI *Institutiones Historiæ Christianæ antiquioris p. m. 55.* cui etjam addatur egregie pro

more suo differens. JOH. ALB. FABRICIUS in libro, qui inscribitur, *Singularis Lux Evangelii toti orbi exorients Cap. XXIII. p. m. 475.* (f) Vid. *Lettres Chinoises Tom. 8 pag. cit.* (g) Vid. *IMHOFERI annales ad annum 870. p. 86.* Sed quid de hoc IMHOFERI testimonio sit statuendum, paragrapho sequente ostendemus.

§. V.

Quandoquidem igitur in foro Historico nondum sibi satis constat eorum opinio, qui existimant, Apostolum ANDREAM Evangelium per imperium Rossicum annuntiasse; instituti nunc postulat ratio, ut inquiremus, quo circiter tempore quave occasione Græca, quam Rossi profitentur, Religio in has terras fuerit introducta. Quemadmodum igitur Sol, antequam supra Horizontem adparet, creperam primo spargit lucem, deinde orientalem cœli plagam exquisitissimis radiorum coloribus pingit, & deinde pleno Majestatis jubare sese conspiciendum præbet; Ita etiam Religionis Christianæ lux tenuia primum apud gentes passim omnes habuit initia, majorem deinceps sensim sensimque consecuta est vigorem, donec tandem communi populorum consensu fuit recepta. Eadem prorsus fata in Rossia Græca invenit Religio, quippe quam pauci ab initio, tum plures & denique veteres Rossi sunt amplexi. Quocirca non erit reticendum, quod nonnulli Auctores existiment, veteres Rossicæ incolas, primis etiam post Christum natum sæculis proprios habuisse Episcopos; sed quæ sententia argumentis minus probabilibus nititur, quam ut album eidem addere calculum audeamus (a). Potuerunt quidem Marchiones Rossici & Gothici (*Waringar*) in Græciam euntes indeque redeuntes aliqualem Christi cognitionem habuisse, quod vero eandem domi propagaverint, animus ipsorum, bellicis tantum negotiis intentus, quemvis dubitare sinit. Certum tamen est, quod

quod Græca Religio si non prius, saltem statim post ætatem RURECI, hoc est sæculo IX, ad Kioiviam usque sese extenderit; quippe *OSCOLDO* interfecto, *ALOGIA*, quæ postmodum *IGORI* facta est conjux, supra sepulcrum occisi Principis templum extruendum, idemque *S. NICOLAI* nomine insigniendum curaverit (*b*). Et nisi admodum fallimur, hoc circiter tempore Kioivæ delubrum, *S. ELIÆ* dicatum, fuit confectum (*c*). In hac re conveniunt Scriptores Byzantini. Quare *PHOTIUS* in Epist. Encycl. ad Patriarchas orientales, quæ occurrit apud Montacutum, narrat, quod Rossi suo tempore, vixit autem sæculo IX, ad Christianam Religionem sint conversi. Annus autem non indigitatur; nam opus tanti moliminis simul & semel perfici nequaquam potuit. Interjecto tempore Regia hæc Princeps Constantinopolin se contulit, & postquam sacris ibi Græcorum sese addixisset, a Pathriarcha (*d*) fuit baptizata, Nomen *ALOGIÆ* in *HELENÆ* commutans, atque domum reversa multos ad suam convertit fidem. Quare & Rossi eam *Soli* æquipararunt, dicentes: *Sicut Sol ipsum mundum illuminat; ita ipsa Rossiam fide Christi illustravit* (*e*). Quare initia Religionis Christianæ in imperio Rossico ad ætatem Reginæ *ALOGIÆ* plerique referunt Historici; qui tamen inter se non conveniunt, cujus aut quorum ministerio Veteres Rossi Sacris Græcorum fuerint iniñiati (*f*). Nihilo tamen minus pauci admodum ad Sacra modo memorata recipienda adduci tunc potuerunt; plerisque ad exemplum Regis *SVENTOSLAVI*, ritibus idololâtricis valde devoti, sese componentibus (*g*). Paulo post bellum inter *SVENTOSLAVUM* atque Imperatorum Græcorum fuit conflatum, quo factum, ut Rossi nullos e Græcia impetrare potuerint sacerdotes; quorum defectu periclitari admodum cœpit in Rossia Religio Christiana. Ne vero ejus lux in his turbis penitus deficeret,

Princeps HELENA Legatos misit ad imperatorem Germanicum OTTONEM MAGNUM, qui rogarent, ut idoneos Sacerdotes in Rossiam mitteret. Cujus precibus annuens Imperator, ADALDAGO An. 960 imperavit, ut LIBATIUM in Rossiam mitteret, sed quum hic an. 961 prius occubisset, quam itineri sese accinxisset, ADALBERTUS e monasterio S. MAURITII huc missus, sed qui non multo post Archi-Episcopus Magdeburgensis fuit constitutus. Vid. *Continuator Reginonis ad Annos 952 -- 962.* & *TREUERI Dissertat. de amicitia Germanicum inter & Russicum imperium Helmst. 1733.* Quid & quantum hi pracones ad propagationem Religionis Christianae per imperium Rossicum conferre potuerint, ex annalibus, qui ad nos pervenerunt, explicari non potuimus. Postquam autem hujus filius WALDEMARUS imperii Rossici habenas cepisset, a legatis multorum Europae Principum, qui gratulandi causa in Rossiam venerant, imprimis vero ab Imperatoris Constantinopolitani caduceatore sollicitatus, ut Religionem amplecteretur Christianam, hujus precibus id dedit, ut legatos vicissim Constantinopolin miserit, qui de indole Religionis Graecae sese certiores redderent. Hi dogmata ejus ipsi domum reduces exposuerunt, tandemque re perpensa promisit se Graecam Religionem fore recepturum, praesertim si in matrimonium imperatoris BASILII Sororem ANNAM impetraret. Cui petitioni nec ipsa refragata fuit, sed in Rossiam accedens, curavit, ut sponsus suus ab Episcopo Corfinensi ANASTASIO baptizaretur. Post quod tempus stabilem in his terris sedem nacta est Graeca Religio, profanitasque, quae haecenus victrix fuerat, jam fauces tandem submittere coacta fuit, postquam in Aula regnantis domus recepta sunt Graecorum Sacra. Regis enim hujus exemplum secuti sunt optimates, & horum rursus mores paullo post amulabantur

bantur reliqui cives (*b*). Ut vero omnia decentius in Ecclesia administrarentur, WALDEMARUS ad se ex Græcia vocavit Episcopum quendam, LEONEM nuncupatum, quem etiam Patriarcham Rossia constituit, ipsique jus sacrorum ordinandorum concessit, adeo ut æqualem cum Patriarcha Constantinopolitano haberet potestatem (*i*). Sequenti tempore Norvagiæ Princeps OLAVUS TRYGGWASSONIUS in Græciam proficiscitur, cumque multis ibi eisdemque egregiis factis inclaruisset, in Septentrionem revertitur, atque secum in Rossiam, in cujus Principis aula valde liberaliter fuerat exceptus, abduxit presbyterum quendam, PAULUM (*k*) dictum, cujus opera usâ est regina tam ad confirmandam vacillan-tem WALDEMARI animum, quam ad reliquias cultus idololatriæ penitus extirpandas (*l*). Hinc non solum Magni Moschovitarum Duces (*m*) prisicique ipsorum annales (*n*), verum etiam alii passim Historici (*o*) fatentur, Græcam Religionem vergente ad finem sæculi X. vel circa initium sæculi XI. in Rossicum Imperium fuisse introductam. Quomodo sequente tempore Romanæ Religionis addicti, sua sacra Rossis obtrudere sint an- nisi, prolixum foret jam exponere; binos tamen, eosque satis memorabiles casus hac occasione silentio prætermittere non possumus. Prior concernit *Philosophos* Regis Sve- thiaë MAGNI, SMEK cognominati; de quibus Lector Benevolus sequentia accipiat. Postquam Svethiaë Rex modo memoratus cum exercitu in Rossiam pervenisset, faciales suos ad Principem Novogardensem GREGORI- UM confestim misit, qui duas ipsi & civibus proponerent con- ditiones, scilicet ut aut Papisticam reciperent Religionem, aut acie secum essent dimicaturi. Ut majori cum suc- cessu hi nuntii suum absolverent opus, *Philosophos* sese appellari voluerunt; cruenta enim conversio ad Chris- tum, genio istius tempestatis Sacerdotum familiaris, ma-

ximum horum timorem singulis iniecit populis. Convocabantur mox Ordines Imperii Rossici, coram quibus hinc suum negotium, inde Religionis suæ præstantiam magno eloquentiæ adparatu exposuerunt. Contra ea Episcopus Novogardensis WASILIUS seu BASILIUS, qui omnium prudentissimus arbiter in re tam seria putabatur, suo atque civium suorum nomine respondit: se ad Patriarcham Constantinopolitanum missuros, qui ipsius sententiam de Religione optima expeterent, & quam ipse designaret, omnes ambabus manibus fore amplexuros. Tam callido consilio lingvis animisque singuli favebant, quare decretum Novogardensè per duos Principes Viros (*Bojars*) D:NUM ABRAHAMUM & CUSMAM Regi Svecorum nuntiandum curarunt. Horum tamen ille remansit Notheburgi, hic autem ad MAGNUM est profectus, negotiumque sibi demandatum mascule expedit. Regi autem Svecorum, imprimis vero sacerdotibus Papisticis, ipsum comitantibus, admodum displicuit placitum hoc Novogardensè, quo se deludi probe viderent; quare vi & armis molimina sua perficere sunt conati; illis, qui sacra adoptarunt Romanensia, vitam concedentes & opes restituentes, qui vero tergiversabantur, suppliciis quibusvis adficientes. Hoc contigit An. Ch. 1347. Sed anno sequenti tota belli hujus sacri scena fuit mutata. Vid. vetus Historiæ Moschorum Chronicon apud Nob. SCHOENSTRÖMIUM in introductione ad Histor. Svecan. MS. in DALINI Histor. Svecan. Tom. II. p. m. 491. item HELSINGII Dissertationem de origine Waregorum p. m. 77. Alter est, quum totius Rossia Monarcha PETRUS I. qui ob magnitudinem rerum gestarum MAGNI cognomen promeruit, Parisiis versaretur atque Collegium Sorbonnensè die 14. Junii 1717 inviseret, Theologi Parisienses tam oportunam occasionem, sua quasi sponte ipsis oblatam, e manibus non

non dimittendam putarunt, sed maximo huic Principi, Sarmaticos libros volventi, blandissime exposuerunt ingentem partæ gloriæ cumulum accessurum, si, Ipso adjuvante, Ecclesia Ruthenica ad Latinorum accederet sacra. Quorum tamen molimina prudenter elusit Magnanimus hic HEROS, significando, se rei militaris studiis a tenera ætate deditum ac gravissimis imperii negotiis districtum tam arduas lites nequaquam posse componere, sed discussionem earum suis permittere, uti par erat, Episcopis (p).

§. VI.

(a) Huc imprimis referendus est *IMHOFERUS* in *annalibus Hungariæ Ecclesiasticis ad An. 870. p. 86*, Cujus sententiam ad calcem superioris paragraphi attulimus. Verum *SOCRATES* Histor. Ecclesiasticæ Scriptor, ad quem provocat Imhoferus, Antipatrum non Rossorum sed urbis Rhosi, in Cilicia quondam sitæ, Episcopum facit. Verba enim *Socratis in Histor. Ecclesiast. Libr. III. Cap. 29.* sic sonant: *Μελίσι* Ⓞ *ἐπίσκοπος* Ⓞ *Ἀνιοχῆϊας* Ⓞ *ἔδωκα συναϊῶν τοῖς περὶ ἡγεαμένοις*. *Εὐσεβί* Ⓞ *Σαμοσαίων*, *Εὐάγρι* Ⓞ *Σικελῶν*, *Ουεράνι* Ⓞ *Ἀπαμείας*, *Ζωίλ* Ⓞ *λαριστῶν*, *Ἀνάκι* Ⓞ *Καπαρῆϊας*, *Ἀντίπυρ* Ⓞ *Ρώσων*, *Ἀβραμί* Ⓞ *σερμῶν* &c. (b) Vid. *STRAHLENBERGII* *Libr. cit. p. m. 173.* (c) Vid. *T. S. BAYERUM* in *Actis Petropolitanis Tom. VI. p. 391.* (d) Baptismum *ALOGIÆ* a Patriarcha *PHOTIO* administratum fuisse, Rossorum annales passim tradunt, quos autem propter hoc merito taxat *T. S. BAYERUS* *Loco cit. p. 390.* Etenim baptismus *Alogiæ* incidit in Annum Ch. 955 circiter; *PHOTIUS* autem ab Imperatore *LEONE PHILOSOPHO* in exilium eiectus in Armenia An. 891. decessit. Quod vero magna semper fuerit *PHOTII* in Ecclesia Ruthenica auctoritas, ex nulla alia repetendum est causa, quam quod primus Rossorum Episcopus Photianarum fuerit partium, non vero Ignatianarum. Præterea observandum, quod inter Eruditos multum fuerit disputatum, quo anno Princeps *ALOGIA* sacro baptismi lavacro fuerit tincta. Hic jam quodammodo definiri potest, postquam *Ceremoniale aulae Byzantinæ* prodiit, in quo inter alia occurrit solemnis *ELFÆ* (seu *ALOGIÆ*) receptio II. 15. Ex hoc schediasmate constat, quod *ALOGIA* baptizata sit post an. 948; sed ante obitum imperatoris *CONSTANTINI PORPHYROGENNETÆ*, qui An. 959. vitam cum

morte commutavit. Baptizata autem hæc Princeps adeo placuit Imperatori CONSTANTINO ob eximias tam animi quam corporis dotes, ut ipsi & manum & cor suum obtulerit; quod tamen amoris pignus ipsa modeste recusavit, argutam hanc interferens causam, quod imperatore ut compatre in baptismo fuisset usa, & proinde matrimonium cum ipso, cen legibus Canonicis interdictum, non posset non abnuere. (e) Vid. *opus de variis rerum Moschoviticarum Auctoribus* p. 3. & *Genealogiam Magni Ducis Moschovitarum, quæ ibidem reperitur.* (f) Confr. ZONARAS in *Histor. Ecclesiast. Tom. III. p. m. 139, CONSTANTINUS PORPHYROGENNETA in vita BASILII MACEDONIS cap. LXVI. p. m. 165 nec non Cardinalis BARONII annales Ecclesiast. Tom X. p. 253.* (g) Vid. HERBERSTEINI *Lib. ante cit. p. m. 3.* (h) Vid. imprimis HERBERSTEINI *Libr. cit. p. m. 5.* (i) Vid. P. PETREJ *Chronicon Moschovitar. Libr. VI. p. m. 2.* (k) Occasione hujus nominis nonnulli in eam incidisse videntur opinionem, Apostolum PAULUM in Rossiam pervenisse, & Evangelium ibi annuntiasse; sed Chronologia hanc sententiam evercit. (l) Vid. STURLONIDIS *Heimskringla Tom I. p. 233.* item Cl. OERNHJELMII *Histor. Ecclesiast. Svo Goth. p. m. 585.* (m) Digna omnino sunt verba Magni Ducis Moschoviae BASILIDIS, incunabula Christianismi ad ævum WALDEMARI referentis, quæ notentur: *Baptizantur, inquit, nostri in Nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti nunc & in sacula benedicti, postquam primus noster progenitor, beatus ille & magnus CZAR WLÓDIMIRUS, Divinitus illustratus, nomen BASILII ad mysticam undam est nactus, a quo tempore usque ad hunc diem non Rossica, sed Christiana adpellatur fides nostra, Vid. NICOL. BERGII Dissertat. de statu Ecclesiæ & Religionis Moschoviticæ Upsal. 1704. hab. p. m. 50, nec non J. E. GERHARDI Dissertat. de Religione Ritibusque Ecclesiasticis Moschovitarum.* (n) Confr. *Stepennaja Kniga, item NESTOR PETZURSKI passim.* (o) Vid. JOH. DLUGOSSUM in *Histor. Polonic. Libr. I. p. m. 150; JOH. HERBINIUM in Libro de Cryptis Kiovicibus Cap. 3. p. m. 16.* Quocirca non erit reticendum, quod GHIZELIUS in *Historic. Syn. pag. 62.* quinque numeret Rossorum conversiones ad fidem Christianam: I. Per ANDREAM Apostolum, quem ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Borythenis, indeque in Kioviam & Novogardiam pervenisse adserunt Rosii. II. An. Chr. 862 vel 863 imperante in oriente MICHAELE Casare & PHOTIO Patriarcha Constantinopolitano. III. An. Chr. 872. vel secundum alios 886. Imperatore BASILIO MACEDONE, quam sic exponit CEDRENIUS in *Compendio N. T. p. 589.* Misisse BASILIUM, imperatorem Græcum, Basilium in Rossiam Evangelii prædicantem.

dicandi ergo. Et cum ille miracula DEI extulisset, cum primis illud de tribus viris ex fornace Babylonica liberatis, Rossique objecissent, se tum credituros, si itidem talia miracula viderent; is sibi in memoriam revocans promissum Christi, quicquid petieritis in nomine meo, si fidem habueritis, accipietis; Nullis regeffit, quod si serio ad Christum se convertere velint, petere quid debeant. Illis itaque rogantibus, ut Evangelii Librum, de Christo agentem, in ignem mitteret, polliciti, tum se credituros, quod Christus sit verus Deus, si liber iste in igne, æque ac viri in fornace, sartus permaneret, & Archi-Episcopo, invocato supremo numine, illud efficiente, Rossos Christianam Religionem amplexos fuisse. *IV.* Curante Alogia, avia WALDEMARI, suo exemplo haud paucos ad baptismum alliciente. *V.* denique sub WALDEMARO, ejus sub auspiciis omnes in univrsam Rutheni circa initium sæculi XI ad Christum conversi & baptizati fuerunt. (*p*) - Quæ huc imprimis spectant, videantur in libro *Das veränderte Rußland p. m. 433.*

§. VI.

Postquam ita Initia Religionis Christianæ in imperio Rossico, quantum per monumentorum inopiam fieri potuit, succincte exposuimus, forte quispiam a nobis adhuc postularet, ut indolem Religionis, quam a Græcis acceperunt veteres Rossi, paullo accuratius nunc explicaremus. Enimvero isthoc argumentum alius plane est fori, nobis vero propositum, in alienam messem nostram non immittere falcem. Quare heic subsistimus; circa finem hujus Schediasmatis ingenue profitentes, nos ea sagacitate cuncta pervestigare non potuisse, qua & optavimus & res tanti momenti postulare est visa. Nulli tamen pepercimus operæ, ut in hoc argumento lucem quandam accenderemus, quare facilem nobis censuram a benevolis promittimus, quippe qui optime sciunt, quantum in scriptis variorum Auctorum & diversarum nationum illi debent esse versati, qui ad initia quorumvis institutorum tam Divinorum quam humanorum inoffenso pede progredi cupiunt, eademque fite exponent. Terminum enim *a quo*, præter illum, quem in

C

sacris

facris habemus pandectis, oblivio & silentium involvit, silentium antiquitatis fabulæ exceperunt, fabulis tandem successerunt Majorum traditiones, & his demum Scripta (a). Si quis autem minus probaverit elucubrationem hujus materiæ, apud nos tamen valebit illud doctissimorum virorum calculo dudum approbatum effatum: Erectæ mentis esse, artium repagula fidenter perrumpere, omnemque dare operam, ut si metam non attingat, præclare tamen voluntatis gloria sese sustentet, quæ longe potior est, humili & minuta felicitate eorum, qui nihil arduum atque acutum cogitatione complectuntur.

(a) Vid. HARDOEFERI librum de moribus Germanorum, cui etiam addas LENTULUM p. m. 108.

